

A R G V M E N T V M F A -
B V L Æ A C H A R N E N S I V M .

INITIO quendam ciuem Atticum, Dicæopolin (quasi dicas, Iustum ciuem) introducit, qui de peruerso Reip. statu queritur, & vitia quædam Atheniensium partim risu, partim fletu digna, Comicè perstringit: vt quòd Eschyli poëmatibus neglectis, Theognidis aut Euripidis fabulas audiant: & quòd pacem non promoueant, sed de aliis rebus consultant. Ingressis in scenam Senatoribus, statim adest Caduceator siue præco, qui singulos hortatur, vt suam quisque dicat sententiam. Ibi Amphitheus, quòd pacem & fœdus cum Spartanis ineundum suaderet, è curia eiicitur: frustra indignante Dicæopoli. Postea audiuntur legati, à rege Persico cum Pseudartabano, eiusdem Satrapa reuersi. Hi in concilio suas comestrationes & luxum Persicum exponunt. Tandem productus Pseudartabanus regis sui mândata, lingua Persica commemorat: Cuius verba cum præco perperam ac falsò interpretaretur de auro, quòd rex missurus esset, Dicæopolis remotis arbitris, longè aliud ex ipso comperit. Quare vana spe populum lactari intelligès, sibi consilium capit, & Amphitheum ad Lacedæmonios ablegat, vt sibi cum Lacedæmoniis fœdus faciat. Interim à Caduceatore vocatur in Senatum theorus, hoc est, spectator, vt Sithalcis Thracum regis responsum, de auxiliis & societate belli, exponat. Verùm is consimili vanitate populum ludificat, & magnifica regis auxilia & promissa commemorat. Reuersus interim Lacedæmone, Amphitheus secum inducias & fœdera refert. Verùm deprehensus ab Acharnensibus, qui propter vineta deuastata, Spartanis grauer infensi erant, vim persequentum ægrè effugit. Dicæopolis acceptis ab eo fœderibus domum lætus abit: & vt gratus sit diis immortalibus, ruri Choas, quòd Bacchanale erat festum, celebrare instituit. Huic imminet ex improviso Chorus senum Acharnensium, qui Amphitheum, fuga elapsum, quærit, vt ab eo pœnas sumat: quandoquidem ille fœdus cum atrocissimis hostibus pepigisset. Egressus domo cum seruo, vxore & filiabus, Dicæopolis Choas agere parat. Ibi seruus Priapum in palo, filia calathum, mater pulcem & coclear gestat. Vbi ista Chorus animaduertit, illicò Dicæopolin pro Amphitheo comprehendit: eique lapidibus intentis, mortem comminatur, neque vilas excusationes admittit. Cum verò alia ratione se non posset defendere, vicissim illis minatur, nisi audiatur, sese Acharnensium obsides violaturum. Prolato mox cophino carbonibus oppleto, necem Dicæopolis stricto ense intentat. Quo spectaculo carbonarij Acharnenses commoti, & carbonum tanquam liberorum miserti, Dicæopolin abiectis lapidibus audiunt, & sententiam de Lacedæmoniis liberè dicere vltro iubent. Sed ille prius quàm peroret, habitum vt sibi mutare, & mendici vestibus amiciri liceat, ab Acharnensibus petit. Ea re impetrata, Euripidem accedit, qui heroas in Tragœdijs mendicos producere solebat, eumque exorat, vt Telephi habitu ipsum amiciat, & reiiculas concedat: quibus Dicæopolis contra Acharnicos se defendat. Habitu mendici accepto, iam auarus & petax redditus, vt fert mendicorum natura, quorum pera nunquam impletur, modò hoc, modò aliud ab Euripide postulat, ac difficulter admodum obstio remouetur. Rediens ergo ad suos Acharnenses, Dicæopolis eleganti oratione Lacedæmonios excusat: culpam in Periclis iam defuncti pertinaciam, & Megarensium miseriam reiicit: quæ duo Lacedæmonios impulisse ait, vt primùm opem tulerint oppressis: deinde vastatis Atheniensium vineis, & Atticæ agris, parem Atheniensibus gratiam reposuerint. Hoc cognito pars Chori Dicæopolidi assentitur, pars (vt fit) grauer illi succenset, & Lamachum ducem exercitus aduocat. Ab hoc petunt, vt proditorem istum armis opprimat. Sed is, cum armatus accurreret, falsè à Dicæopolide irridetur, & tanquam mollis ac Cinèdus, cum suis armis exploditur. Nam pauper & inops, compilatis Reip. commodis, ad summas opes & honores, malis artibus peruenerat. Lamacho minante bellum se cum Peloponnesijs continuaturum: Dicæopolis contra forum & Emporia Attica Megarensibus & Thebanis se permissurum affirmat. Eo degresso, Chorus Aristophanem laudat, vt patriæ amantem, & bene consulentem